perſtitiones peruaſerunt. Sed circiter Gregorij tempora, et deinde tetri cultus Idolorum recepti ſunt.

Eſt autem inſignis abuſus ſpectaculum, in quo panis circumfertur, ut adoretur. Expreſſe enim dictum eſt, Accipite manducate. Ad hunc uſum inſtituta eſt haec coena, ut ſit Teſtimonium praeſentiae filij Dei in nobis, non ut extra uſum ſit incluſio in panem.

Cum igitur nihil ad Sacramenti rationem pertineat hoc ſpectaculum, in quo et aufertur pars, et altera pars extra uſum inſtitutum, transfertur ad opus toto genere diuerſum, ſcilicet, tantum ut in hoc ſpectaculo fiat adoratio, falſo putant homines, hunc panem eſſe ipſum Filium Dei. et adorant Idolum, et ſtabiliunt hunc errorem Romani pontifices, qui in publicis pompis imitantur perſicum morem. Ut n. regem perſicum antecedebat equus, qui geſtabat ignem, quem Perſae nominabant Ori,